

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam



rovidentissimi Dei est, prout ipsa humana docet ratio et sacris confirmatur Chartis, mundum legibus regere et iustitiam ita inter homines inferre, ut boni malis arceantur, mali vero custoditi, atque observati, sollicitati, nunquam tamen libertate sua destituti, boni fiant, utque contingat «omnes homines salvos fieri», sic revelante Deo. De quo perenni bomum inter et malum dirimendo certamine Omnipotens Deus Sancto Michaëli Archangelo mandavit, cuius nomen «quis ut Deus?», sonat ac «fuititudinem Dei» exprimit et denotat. Ipsi enim, qui Angelicae militiae Dux ac Princeps est a Deo constitutus, tenebrarum Principi ac satellitibus eius resistere commissum fuit, tum eundem aeternum Dei inimicum e caelesti Paradiso expellendo et in profundum conuicendo Infernum, tum Mulierem illam, quae «amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim» in Apocalypsi apparet, non sine immanni pugna defendendo, tum denique «animas suscipiendas» in Caehum stremue fortiterque servando, ad maiorem Dei gloriam. Haud aliter, ut bona, et ordinata dici possit atque caelesti Regno similis, accidit, in terrestri hac Civitate, in hominum scilicet societate, quae, ad iustitiam fovendam tuendosque bonos, robore ac fortitudine indiget legumque praesidiis fulcitur. Nil mirum proinde quod publicae disciplinae in Italia Praepositi, grave impensumque pro communi bono civiumque utilitate militum omnis attente considerantes atque de eorum physica et spirituali tutela quam maxime solliciti, Sanctum Michaëlem Archangelum publicae securitatis gerenda apud Deum Patromum iugiter habuerint. Solent enim christiani Exercitus, ex vetusta ac laudabili consuetudine, Summis Pontificibus faventibus et confirmantibus, caelestes Patronos, qui in adversis rebus, immo et in periculis, omnes et singulos tueantur illisque exoptatam tribuant victoriam, sibi deligere atque adsciscere. Quos inter nullus, publicae securitati servanda aptior et magis consentaneus apparuit, quam caelestis ille Angelicae Cohortis Princeps, Michaël nempe Archangelus divina contra «tenebrarum potestates» cum sit fortitudine praeditus. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, Archiepiscopus titularis Trapezuntinus, Ordinarius Militaris pro Italia, supra memorata vota, excipiens, quo magis publicae disciplinae ac securitatis tutorum, sive Optimatum sive militum, spirituali bono ipsorumque contrar civilium legum detractores praesidio consulatur, enixas Nobis preces adhibuit ut Sanctum Michaëlem Archangelum totius publicae securitatis tuendae Administrationis caelestem Patronum benigne declarare dignaremur. Nos porro, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigia prementes, ad augendam illorum, quos supra memoravimus, pietatem, ipsosque superno munimine et auxilio roborandos ac defendendos, huiusmodi votis precibusque annuendum perlamenti censuimus animo. Qua propter, auditio Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinale Micara, Episcopo Venerabilis, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Michaëlem Archangelum praecipuum totius Italicae publicae disciplinae ac securitatis tuendae Administrationis apud Deum Patromum declaramus, facimus ac constituimus, omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honoribus adiectis, quae praecipuis Coetum Patronis caelestibus rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sique rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Septembris, in festo Sancti Michaëlis Archangeli, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecim

De speciali mandato Sanctissimi

Pro Domino Cardinale a publicis Ecclesiae negotiis

Gildo Brugnola

Officium Regens

Pontificiis Diplomatibus expediendis.

